



Erit in pace

M E M O R I A


Beatisf. DN. D. MARTINI  
LUTHERI,

*Religionis verè orthodoxæ Vindicis ac  
Asfertoris Maximi, Feli-  
cissimi.*

IN CUJUS GRATIAM ET HONOREM  
CUM VERBA PUBLICE SINT  
FACIENDA,

NOMINIS HUIUS ADMIRATORES CUN-  
CTOS ET SINGULOS HUMILLIME  
VENERATUR

M. JACOBUS REICHMANNUS,  
RECTOR



TORGÆ,

Literis Viduæ Reinhardianæ.

Anno 1673.

210





1922.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

ESQ.

LONDON

1679

Printed by

J. Sturges

at the





1923

I. N. J.

**Q**uanquam præfenti feculo tantum non deplorato cuncta armorum metu & terrore bellico usque quaq; perturbata rigeant, nec quisquam nostrum facile divinare sustineat, quid impostero de penatibus patriis, aris, focus laribusque nostris familiaribus sperandum sit; cum præsertim restare videatur belli inauspicato incepti tanta pars, omnium bona fortunisque cum sanguine exsorptione: una tamen Ecclesia in motibus illis, freta Dei auxilio, de interitu secunda, & in eâ cultus populi verè Christiani liber est, & quilibet pristinae servitutis à cervicibus jam tum depulsæ, libertatisque pro conscientia impetratæ memor singulari exultat gaudio, se tantum adhuc divino beneficio habere, quantum felicissimorum quisque sibi optare possit. Quam tristis enim squalidaque facies superiora deformavit tempora, quantum in tenebris majores nostri degerint, quam immensæ animarum strages longè lateque cumulatae, nemo tam imperitus rerum temporumque est, qui non legendo hæc, aut fando cognoverit, eademque fata ne sentiat rursus DEUM humillimè deprecetur. Enim verò si in illâ ignorantia, superstitione, & miseriis, quibus universa Germania implicata hæsit, versari nos diutius permisisset DEUS; quid præter æternum nobis expectandum exitium? in quod incidere necesse est, quotquot cœlesti veritate fidei carent, unde emergendi omnino spes nulla foret super. Sed divinæ bonitati & clementiæ uni beneficia hæc immensa ferimus accepta, quæ ad hodiernum usque diem (licet rumpantur & illa Papæ,) facta tecta que tenemus, quorum pretium si expendamus probe,



auro contra æstimandum est, & si quid auro & vita amabi-  
 lius possidetur. Discussis quippe ac depulsis densissimis er-  
 rorum nebulis per eum, cui maximum illud negotium vin-  
 dicandæ religionis destinatum erat, admirabilis exortus  
 splendor totum terrarum orbem affulgens collustravit cun-  
 cta, perfuditq; radios purioris doctrinæ quæqva versum, &  
 duravit perpetuo, nec maculam aut corruptionem, sive  
 manifestâ vi, sive fraude inferendam admittit. Tanti mo-  
 menti rem sapius quidem tentatam legimus, sed cuius vi-  
 tio, aut ut melius dicam, quo fato factum, ut minus succes-  
 serit subinde, nec tam facilè in lucem se protrahi passa sit  
 tantis involuta umbris veritas, & cur cum tot improbisimis  
 laboribus prius luctari, atq; se se exerere post multos demum  
 annos necesse habuerit, causæ nihil dici potest, quam quod  
 aliud restaret organon, invictò ac planè divino instructum  
 animo, cui id maneret proprium, ut ejus ope ac ministerio  
 dicatur decus ac gloria cœlesti restitutum Verbo, liber-  
 tas Ecclesiæ, animabus sub mole peccatorum gementibus sa-  
 lus & æterna felicitas. Quis mala tum prementia orbem re-  
 censendo erit? Biblia sancta excussa de manibus jacebant  
 in obscuro, quorum loco humana commenta, quin aniles  
 fabulæ pro suggestu proponebantur populo, & quod mi-  
 rum, certatim à quovis excipiebantur. Intolerabile  
 jugum scelestæ Tyrannidis occupaverat Ecclesiam, one-  
 riqve aggregabatur onus, quod si quis detrectare pro vi-  
 ribus conaretur, dignus censebatur communi suffragio,  
 qui ad Gemonias scalas raperetur extemplò. Ad inte-  
 ritum non tam vergebant tot animarum res miserum in  
 modum pressæ, quam ruebant: & vidisses dira tormento-  
 rum non expectari, sed urgeri ingruenti horrore atqve  
 lacesse. In rebus celebratissimis patrum sermone histo-  
 riarumq;



riarumq; monumentis versamur, eaq; quæ asserimus, asserunturq; sunt secuturi post nos, notiora omnibus fuere, qui tum in vivis fuerunt, quam nobis, qui nondum fuimus. Nihil tamen prætermisum quin notatæ sint singulæ res, ac infanda clades illorum temporum nobis tradita fideliter; etsi nullo modo poterit calamus noster aut lingua satisfacere ipsissimæ eorum experientiæ.

Et ante **HUSSUM**, tot constantissimi Martyres, & ipse etiam **Husus** tantæ malorum undiq; ingruentium tempestati occurrere meditabantur, periclitanti succurrere Reip. Christianæ, & singulari fortitudinis ac prudentiæ exemplo vindicare religionem, liberalissimisq; assertam mediis collocare in tuto, sed hoc insigni scilicet mactabantur nomine, ut pestilentissimi hæretici audirent, & tremendo edicti carmine, telisque, insidiis, ferro undiqve, & flammis oppugnarentur, sublato passim clamore: dignos esse tales, qui de medio prorsus, modo quantum libet horribili, exemplo aliis, auferrentur. Hoc impertrepidis Confessoribus nihil majori invidiæ ac periculo fuit, quam quod instruente divino Spiritu asserendæ veritatis negotio ipsi incumbere fortiter, & ad refellendas falsitates, confutandumq; mendacia quidam veluti stimuli adderentur auditoribus, ulterius inquirendi in puriorem doctrinam, asserendam identidem contra audacissimos mortaliū. Scelere atqve sævitiâ opprimi quidem poterat **HUSSUS**, **ANSER** flammis Martyrii consecratus, sed vi & armis religio, quam profitebatur, suoq; obsignabat sanguine, excindi nequaquam potuit: abfuitq; tantum, ut jugulata jaceret res, aut illorum, qui eam sectabantur, animi tot minis exemplisq; fracti aut debilitati quicquam remitterent, vel à proposito absterrerentur, ut multò ma-



forem inde induerent fiduciam, viresq; & incrementa ma-  
 jora sumerent essentqve magisq; aucti, quo premebantur  
 magis. Tandem universas vires suas cogebat undiqve ve-  
 ritas, & quanta erat, totum se erigebat generosæ indolis  
 ope & magnanimitate GERMANI OLORIS, MARTINI  
 LUTHERI, cujus munere, DEO sic prosperante, eru-  
 pit, veluti per medios furores, ac se stitit, bona, vitam,  
 sanguinem posthabens æternæ gloriæ & salutis recuperan-  
 dæ. Tunc invicta prorsus ac admirabilis vis se exerebat in  
 LUTHERI animo, quem inusitata majorq; humanâ fortitu-  
 do ac constantia aspiraverat, dum in suo proposito strenuè  
 pergere, nec unquam latum ab eo decedere firmiter sta-  
 tuisset, sed pro DEO, & veritate jam iterum è profun-  
 do eruta, nihil non laborum ac periculi subire, ejus Pa-  
 trocinium tueri, & si ita contingeret, ipsum quoq; Spiri-  
 tum effundere. Nec enim præclarius mortis, nec pulchrius  
 inveniebat genus, quam si pro aris & focis animam pone-  
 re, si tueri aliter non liceat, jussisset DEUS. Hac alacri-  
 tate rem aggressus non tantum est, sed confecit etiam pa-  
 travitq; feliciter, ut falsitatis atq; perfidiæ regno destructo,  
 efferatissimus furor hostium restingveretur, atq; fides chri-  
 stiana cœlesti innixa veritati terrarum undiq; stabiliretur  
 firmitus. Mira hæc victoria in omnis ævi memorias trans-  
 fundenda, ut longè venturos posteros etiam doceat, detq;  
 documentum iis grande, quantum valeat divinum robur,  
 & quantum id B. LUTHERI conatibus piis suppeditaverit,  
 ne ultima servitutis subire cogere mur.

Eat nunc Martia illa, seu gentilis Roma, suos jactet tri-  
 umphos, & dicat superbe: se terrorem fuisse orbis terrarū,  
 imperii domicilium, gentium exterarum dominatricem &  
 reginam potentem Urbium, & potentissimorum populorū,  
 quodq;



quodq; omnia hæc victoriis illustraverit suis citius, quam  
 cujusquam passibus peragrari potuerint. Parum certe  
 virtutis habuisse videtur, cum iterum se vinci est passa &  
 capi, non viribus ullis, non armato exercitu; sed artibus,  
 ipsa nescit quibus, nisi quod eorum se fateatur superatam  
 potentia, quorum præcipua vis in fraudibus & fictarum,  
 blanditiarum argumentis maximè posita est, sibiq; ma-  
 jora spondent, quam quæ armata vi obtinere quis omnes con-  
 tulerit copias. Quantò autem admirabilior illa est MAR-  
 TINI nostri vincendi ratio? quanto & major Roma, & ejus-  
 dem gentilis urbis victore, superior LUTHERUS? qui utrum-  
 que, omnibus humanis præsiidiis destitutus, nullâ vi & ope  
 munitus, multò minus arte aliqua, aut fraude dolisve te-  
 ctus rem agens, ac solummodò DEO fretus, tanti mo-  
 menti rem aggressus est, absq; clavâ, absque sudibus, fer-  
 ro, aliis instrumentis, calamo unicè instructus, Pontificiæ  
 Idololatrias mysterium cum multiformibus superstitionum  
 commentis feriit, debilitavit, fregit, domuit, & nul-  
 lis seculis deprædicandum satis inde egit triumphum. Hoc  
 incomparabili, nisi mactata fuisset Germania, quin imò  
 tota Europa, cum lateribus cæteris, beneficio: quam quæso  
 Rempublicam, imò quam Ecclesiam nunc cernere liceret  
 coràm? Essent procul dubio omni cuncta jamdu dum à re-  
 ligionis hostibus occupata, profanata, aut penitus extirpa-  
 ta quæ cunqve Lutheranorum sunt? ipsos passim palabun-  
 darum ovium more vagari videres, & exactam unâ cum  
 vera & inculpatâ pietate, Religionem exulare sedibus illis,  
 ubi jam DEO, sic paterno umbone nos protegente ac  
 tuente, salva, (ò utinam semper!) viget adhuc floretqve!

Cujus rei memoria, ut apud nos quoque inculce-  
 tur diligentius ætati teneræ, Eisqve hoc incomparabile  
 Dei



Dei beneficium magis magisque commendetur, nonnulli, de primo ordine, egregiæ spei & industriæ Adolescentes, circa hoc tempus, loco consueto, verba facere sibi duxerunt laudi & honori, quorum Pietati ac instituto ut Eruditorum chorus favere, suæque præsentia eaque amplissima, spatia hæc Oratoria ornare velit, unâ nobiscum, & quidem eâ, quæ pars utraqve potest, animorum submissione expectant orantq. Dab. Torgæ. Ipso MARTINI solenni Festo, A. C. M. DC. LXXIII.

Nomina Eorum recensere juvat & consignare Orationum Capita, ut habet seqq. Tabella:

1. David Ilgen Torgensis.
2. Petrus Paulus Hoffmann / Torg.
3. Matthias Schlichtius Brand. Marchicus.
4. Gotthofridus Bockshammerus Fürstenvv. March.
5. Ernestus Wagenerus Primislav. Ucaro-March.
6. Johannes Zacharias Crusius Torg.
7. Christianus Laibsch Torg.

*Ordo perorantium hic erit.*

Prologi partes tuebitur VI. Sermone Latino,  
 LUTHERI Generationem describet III. Linguâ Pelasgâ,  
 Ejusdem Educationem exponet II. ore Romano,  
 Ejusdem prædicabit Virtutes V. Carmine Latino.  
 Res gestas recensebit I. Latio Sermone,  
 De Vitæ exitu verba faciet IV. Latinè,  
 Epilogum Actui adjiciet VII.

**GLORIA SOLI DEO;**



99 A 6971

ULB Halle 3  
002 912 201



Sb.

VJ 12

Rehro









Erit in pace

M E M O R I A


Beatisf. DN. D. MARTINI  
LUTHERI,

*Religionis verè orthodoxæ Vindicis ac  
Asfertoris Maximi, Feli-  
cissimi.*

IN CUJUS GRATIAM ET HONOREM  
CUM VERBA PUBLICE SINT  
FACIENDA,

NOMINIS HUIUS ADMIRATORES CUN-  
CTOS ET SINGULOS HUMILLIME  
VENERATUR

M. JACOBUS REICHMANNUS,  
RECTOR



TORGÆ,

Literis Viduæ Reinhardianæ.  
Anno 1673.

